HARMONIAM IVRIS NATVRAE ET CRIMINALIS IN DOCTRINA DE IMPVTATIONE CRIMINIS ATTENTATI

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN ACADEMIA LIPSIENSI
PVBLICO EXAMINI EXPONENT

PRAESES
M. IOANNES LVZ,
LINDAVIA-ACRONIANVS
ET
RESPONDENS
IO. CHRISTIANVS IAHN,
LEVCOPETRENSIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ANNO cIↄ Iↄcc xxxiiii. CALEND. OCTOBR. H. L. Q. C.

LIPSIAE,
LITTERIS BREITKOPFIANIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

AL

SERENISSIMO PRENCIPE

CARLO ALESSANDR

DVCA DI WÜRTEMBERG E TEC


CONTE DI MONTEPELIGARDO,

DOMINO DI HEIDENHEIM &c. &c. &c.

CAVALIERE DEL TOSSONE, CONSIGLI INTIMO, DI SVA CESAREA MAIESTA E GENERALE MARESCALCO DI CAMPO DEL S. R. I. &c. &c. &c.

MIO SIGNORE CLEMENTISSIMO

Digitized by Google



SIGNORE,

NOn ardirebbe la penna accoſtarſi con quel dovuto oſſequio al ſuo Signore, ſe non conoſceſſe i preggi innati d'un tanto Sereniſſimo Prencipe. Sotto il di cui imperio vivono feliciſſimi ſudditi, an-

che

Digitized by Google

che nelle turbolenze della guerra per deſcudo potentiſſimo, che fai fronte ad un'hoſte minacciante, e le rendi una perfettiſſima quiete; Lei Mecenate, de gli eruditi, a che agiunge aſſieme l'eſſer campione del giuſto hà fatto partecipe di queſte felicità anche me longevo de ſuoi raggi. Nè ſi meravigli punto s'eſſendo riconoſcuto da tutti per il ritratto delle bontà e grazie in mille modi ſparſe a chiacunque ſe gli preſenta, ſe da queſta tromba comune moſſo anch'io vengo col mio picciolíſſimo dono a fargli paleſi i miei oſſequii ſino adeſſo celati. In una parola chi gode, d'un perfettiſſimo Prencipe, tutte le prerogative, hà moſſo me a monſtrarle la più viva oſſervanza ed oſſequio. Perdono Signore

re

Digitized by Google

re clementiſſimo, ſe tanto ardiſco, diane la colpa alle ſuoe rare virtù e all' Altezza della ſua Sereniſſima Stirpe, alla quale non ſolo dedico i primordii dei miei ſudori, mà me ſteſſo col più intimo del cuore a ſuoi cenni per ſempre

DI SVA ALTEZZA SERENISSIMA,
MIO SIGNORE CLEMENTISSIMO

Lipſia li 29. Septembr.
1734.

Vbidientiſſimo & obligatiſſimo,
Seruo humiliſſimo

GIOVANNI LVZ.

Digitized by Google

DISSERTATIO
DE
HARMONIA IVRIS NATVRAE ET CRIMINALIS IN DOCTRINA DE IMPVTATIONE CRIMINIS ATTENTATI.

SECTIO I.

§. I.

SAnioris philoſophiae & iuris praeſertim naturae priſtinorum temporum neglectus inter alias, corruptae iurisprudentiae, cauſas haud poſtrema eſt. Quum enim quam plurimi Themidos cultores, nimio in Iuſtinianum amore ducti, eiusque admiratione ſolum capti, ſobriae philoſophiae vſum reiicerent, ſpiſſis tenebris ac inutilibus ſyſtema iuris inuoluere logomachiis, ita vt nudus ipſorum voluminum adſpectus horrorem ſcrutanti mouere poſſit. Omni itaque anteceſſores noſtri laude ſunt digniſſimi, quippe qui iugo ſcholaſtico excuſſo, omnem nauarunt operam, vt

Digitized by Google

intimiora Themidos ſacra ſibi aliiſque patefierent, & iurisprudentia forenſis cum iuris naturae ſtudio, vinculo coniungeretur fraterno. Atque hinc iſti, omnibus adornandi elogiis, viri optime perſpexerunt, in legibus condendis earumque interpretatione, ſtrenuo iuris cultori, ſi nimirum legum rationes, quae animam in ſyſtemate iuris conficiunt, ipſi debeant eſſe perſpectae, aequitatem eſſe obſeruandam. Felix noſtra igitur eſt aetas, quae tanta ex iurisprudentiae ſtudio ſentit incrementa, & quae in poſterum quoque inſignes ſentiet progreſſus, ſi omnes huic dediti ſtudio, anteceſſorum noſtrorum praeclara prement veſtigia. Themidi operam dare & noſtrarum partium eſſe duximus, ideoque in combinatione iuris naturae cum iure ciuili, noſtrum qualecunque etiam ſit, collocare ſtudium nobiſcum conſtituimus. Animus nimirum eſt, praeſenti hac diſſertatione, harmoniam iuris naturae & criminalis, in doctrina de imputatione criminis attentati, exponere, & ordinationis inprimis Carolinae criminalis conuenientiam, cum ratione pro virium oſtendere tenuitate. Deus Optimus Maximus fons omnis benignitatis & ſapientiae faueat huic noſtro conatui!

§. II.

Ius naturae eſt norma, cui actiones noſtras liberas, ductu naturae attemperare obligamur, cumque hoc regulas praeſcribat, quarum obſeruantia non noſtra ſolum, ſed & reipublicae, in qua nos ciues ſumus, perfectio optime obtineri poſſit, ius in & per ſe eſt perfectiſſimum. Sed plurimorum ignorantia, eorumque ad vitia propenſio, immo etiam maxima ex legibus naturae, ſingulos decidendi caſus, difficultas, fini huic praeſcripto, e diametro eſt oppoſita, atque ſic debitam impedit obſer-

ſeruationem. His probe conſideratis, neceſſariam aliarum legum fuiſſe introductionem, atque cum iis motiuorum coniunctionem, & gratorum quidem, vt ad illas exequendas eo alacrius tendant, ingratorum vt a legum violatione praui deterreantur homines, facile perſpicitur. Qui legum complexus ius ciuile vocatur.

§. III.

Et quum non priuatorum minus quam publicae ciuitatis ſaluti, reipublicae debeat proſpicere adminiſtrator, leges ab illo latae, quibus iura tam ratione ſtatuum pariter ac ſocietatum oeconomicarum, quam ratione bonorum atque laeſionum competentia, determinantur, nomine iuris ciuilis priuati veniunt, illae autem, quibus poenae in crimina atque delicta patrata ſtatuuntur, ius ciuile criminale audiunt. Leges itaque ciuiles ad accuratiorem iuris naturae determinationem, dilucidioremque explicationem introductae, ſibi inuicem repugnare non poſſunt, & licet quandoque contradictio adpareat, re ipſa tamen minime ſibi ſunt contradicentes, nam ſaepius eum in finem quaedam admittitur imperfectio, vt maior exinde in republica obtineatur perfectio. Cum igitur iurisprudentia ciuilis ex toto conueniat cum naturali iurisprudentia, & iurisprudentia criminalis ſit pars iurisprudentiae ciuilis, ſequitur, inter hanc & iuris naturalis licentiam, harmoniam debere eſſe concinnam.

§. IV.

Sic itaque breuiter iuris criminalis, cum iure naturali conuenientia euicta, eandem in ſpeciali de imputatione criminis attentati doctrina demonſtrare, periculum faciemus. Imputatio eſt adplicatio legum ad factum liberum cum motiui, coniuncti cum lege, executione.

Digitized by Google

Poſſet haec definitio ex pluribus deduci principiis, & varia exinde formari conſequentia, ſed potius B. L. ad Celeberr. Koehleri magni Ienenſis philoſophi Exercitationem iuris naturae & eius Cap. III. de imputatione moral. it. ad Celeberr. D. Schierſchmidii Diſſert. inaugural. de imputatione culpae ciuili, remittimus. Pro inſtituti ratione tria tantum notamus, quae ſcilicet ad ſequentium illuſtrationem ſunt neceſſaria: 1) Nemini actio, niſi ei, qui libere agit, & legibus obligatur, poteſt imputari. 2) Pro legum diuerſitate, diuerſa quoque eſt imputatio. Alia enim eſt, ſi facta hominum adplicantur, ad leges naturales, alia, ſi ad ciuiles. Priori caſu naturalis, hoc ciuilis obtinebit imputatio. Hanc iterum duplicem eſſe, patet ex §. 3. vbi duas dari legum ciuilium ſpecies, ius ſcilicet priuatum & criminale, dictum eſt. Vtrumque continet leges, in vtroque quoque obtinet imputatio. 3) Facta voluntaria, quae ad Leges adplicari debent, ſunt vel licita, vel non licita. Licita vocamus, quae cum Lege conueniunt, non licita, quae contra Leges ſuſcipiuntur; Eas autem actiones, contra Ius ciuile criminale ſuſceptas, in foro vocamus crimina. Quae inter alias diſtinctiones diuiduntur in attentata & conſumata. Noſtrum nunc erit, hic de priorum praeſertim imputatione loqui.

§. V.

Crimen attentatum, eſt, actio libera illicita inchoata, contra leges praeſcriptas & ob externum impedimentum interrupta. Huius imputatio cadit in forum internum & externum. In foro interno tres criminis partes conſiderandae veniunt, ſimplex ſcilicet adprehenſio, aſſenſus, proaereſis ſeu electio & adplicatio mediorum. Humanae in nobis ideae & actiones repraeſentantur. Repraeſentata prae-

illa primo intuitu nobis videntur, aut perfecta aut imperfecta. Repraeſentationem illam, primum vocamus adprehenſionis motum, qui plerumque ſubitaneus & improuiſus eſt, citius enim in imaginationem, quam ratio accedere & praecauere poſſit, incurrit. Senſibus ſeſe inſinuat obiectum perfectum per ſe vel adparenter tale, qua inſinuatione facta, voluptas imaginaria oritur. Quam primum enim motus primi orti ſunt, iudicio rationis exponuntur, & anima illud ſibi perfecte repraeſentatum obiectum ad ſuum adcommodat ſtatum, immo illud examinat, vtrum illius impetratione ſtatus fiat perfectior, an non? Si ſtatum ſuum perfectiorem exinde fieri intelligit, repraeſentatas adprobat ideas, illisque in poſterum ob delectationem exinde profluentem, adhaeret infixa: Sin minus percipit perfectionem, tales reiicit ideas, & eſt, quod ſecundum adpellare placet cogitationis motum, qui vel in ſola ſpeculatione, quum quis huius obiecti reuera fieri particeps non dum decreuit, vel, vt plerumque fieri ſolet, in idearum cum ipſo facto coniunctione, conſiſtit. Ex quo adparet, illas cogitationes eſſe vel vagas vel omni diligentia collectas, cuius diſtinctionis vberiorem tractationem mittimus, quum magis ad Pſychologiam, quam ad noſtrum pertinet propoſitum.

§. VI.

Si primi iſti cogitationum prauarum motus non degenerant in ſecundos, homini nequaquam imputari poſſunt, actiones enim liberae, vt ex §. praec. conſtat, non imputantur. Sed quia repraeſentationes obiecti, adparenter perfecti talis, momentaneae ſunt, omnem plane rationis deliberationem praeueniunt. Quamprimum autem ſimplex facta eſt adprehenſio, hominis poteſtati, cogita-

gitationes iſtas examinandi, vtrum ſcilicet vera, an tantum adparente nitantur perfectione, relictum eſt, quas ſi iuri naturae contradicentes deprehendit, exſtinguere debet, & ſic non peccat, conſequenter nec ipſi poſſunt imputari.

§. VII.

Si autem homo imaginationis feruore ſpecioſaque boni ſed tantum adparentis repraeſentatione ducitur atque corrumpitur; ſi illas vlterius ſecum fouet cogitationes, in illis conſentit, & prauis delectatur; ſi tandem ſponte rationis ſuae iudicium ſupprimit & ex iis agit, recte patitur imputationem, dum deprauati actus mentis cum lege naturae & ad motiua cum iis connexa, conferuntur. Sana enim ratio dictitat homini, omnes in anima mutationes ad ſui dirigendas eſſe perfectiones, repraeſentatio autem iucunda obiecti non liciti huic contrariatur fini, ergo hoc qui facit contra ius naturae delinquit, & licet, iſtae motus ſecundi cogitationes, in ſpeculatione tantum conſiſtant, nec animus ſit, repraeſentata perficiendi, violat nihilominus ius naturae. Quamquam enim ius naturae potiſſimum actiones humanas externas reſpiciat & motus interni non videantur actiones eſſe perfectas, aſſerere tamen haud dubitamus, in his etiam reſpiciendum eſſe ad normam actionum. Relinquimus argumentum illud, quo omni iure aſſeritur: in vita ordinata hominis actiones externas internis reſpondere debere, hoc tantum proferre placet: Omnes actiones ex ipſorum principiis aeſtimandas eſſe, principium autem actionum, eſt actus mentis, eius, qui liberum intellectus & voluntatis habet exercitium. Corpus enim tantum eſt inſtrumentum, anima autem cauſa mouens. Reatus animae primum in imputatione actionis principium

con-

Digitized by Google

conficit, *Matth. XV, 19.* Vbi ab ſeruatore noſtro ſuauiſſimo, omnium malarum actionum fons, cor dicitur, proceſſum autem imputationis in foro interno nos docet D. Paulus *Rom. II, 15.* vbi cogitationes, ſe inuicem accuſare dicit. Haec in eo conueniunt dicta, vt cor, ipſo iudex actionum ſit, qui rationes actionum poſtulet, declinantes actiones exprobret, & qui iudex eſt conſcientia ipſa, & quo magis itaque homo, a norma ſibi praeſcripta aberrat, eo magis ſeuerioris imputationis poenae ſe ſubiicit. Quae de primo delicti attentati gradu dixiſſe ſufficiant.

§. VIII.

Obiectum illud perfectum ſed tantum adparenter tale repraeſentatum mouet voluntatem, inde voluntas fit efficax, & ipſi ardentiſſima ſuboritur inclinatio, quae obiecti deprauati tradere tendit perceptionis exiſtentiam, & quo magis repraeſentatio boni fit viuidior, eo magis intenſior fit inclinatio, & ſecundum facti non liciti intentati conſtituit gradum. Anima cum omnibus, ad obtinendum ſibi perfectum repraeſentatum, tendat viribus, neceſſario ſibi de mediis proſpicit, quibus ipſa ad finem propoſitum peruenit, quaerit rationes, quae obiecto repraeſentato exiſtentiam dare poſſunt, remouet ea, quae electis repugnant mediis, omnemque mouet lapidem, vt voti ſui compos fiat & adpetitui ſuo corrupto ſatisfaciat. Hanc adplicationem & electionem mediorum Moraliſtae vocant proaereſin, quae tertius criminis attentati gradus eſt. Patet ex prioribus, ſummo iure homini imputari motus ſecundos, liceat nunc nobis a minori ad maius argumentari & quo magis homo, inordinato captus adfectu, peccat contra ius naturae, eo maior eſt imputatio.

Digitized by Google

Proaereſis illa, cuius iam mentionem fecimus, imputationis in actionibus internis conſtituit principium. Si itaque in homine, delictum committente, illa inuenitur proaereſis, ei recte quoque imputatur. Omnes enim animae vires ad obtinendum finem propoſitum ſunt directae, nec quidquam in iis eſt, quod eorum propoſitum tollat, & ſic quoad vires internas delictum iamiam eſt conſumatum, in quo etiam ratio cum reuelatione conuenit, Seruator enim noſter ſuauiſſimus dicit, *Matth. V*, 24. *Quicumque adſpexit vxorem ad concupiſcendam eam, iamiam adulterium cum ea in corde commiſit.* Sine dubio, Chriſtus adulterium, animo propoſitum, intelligit, quod ob externa tamen impedimenta corpore non poteſt conſumi. Adpellat adulterium in foro interno perfectum, quoniam ad actus animi iamiam eſt conſumatum, & remotis circumſtantiis externis, certo certius corpore perficeretur.

§. IX.

Notandum eſt, in illa tota de imputatione doctrina ſemper eo reſpici: An dolus an culpa adſit? Si prior, id eſt, ſi quis deliberato animo viribus animae abutitur & non ad reſiſtendum huic inordinato adfectui, ſed potius ad perficiendum, eas adhibet, imputatio exaggeratur, ſi culpa autem, id eſt, ſi animo inſcio & non deliberato viribus ſuis, quamquam ſcire potuit, ad reſiſtendum non vtitur, tunc minuitur imputatio. Haec probe attentenda eſt regula, ne in imputationis adplicatione dolus cum culpa confundatur.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO II.

DE IMPVTATIONE CRIMINIS ATTENTATI IN FORO EXTERNO.

§. X.

Quia tranquillitas & ſecuritas publica ſumma eſt perfectio, praeter alias, in qualibet bene ordinata republica, leges neceſſariae ſunt criminales quae omnes ad illum finem vltimum adigunt vires & vt iſtae eo melius vigorem ſuum obtineant, reipublicae adminiſtrator motiua, quibus ad illas obſeruandas impelluntur ciues, adducere debet. Motiua illa ſunt vel grata, & vocantur praemia; vel ingrata, & nomine poenarum veniunt. Si leges iſtae cum motiuis ingratis coniunctae, ad facta adplicantur, vocatur imputatio. Plura repetere, quae iamiam in Celeberr. Wolfii politica & praeſertim Cap. 4. & 5. part. 2. de Obligatione, & Imputatione, legum ciuilium, & poteſtate illas exequendi, demonſtrata ſunt, hic ſuperuacaneum eſſet.

§. XI.

In crimine attentato eſſentialia ſunt, cogitatio & conatus propoſitum ad finem perducendi. Duae igitur partes veniunt conſiderandae, 1) An cogitatio in forum externum poſſit incurrere? Veniunt potiſſimum in forum criminale facta hominum externa illicita, tranquillitatem reipublicae turbantia; Quum autem cogitatio, quatenus inter ſolum mentis actum conſtituta eſt, nec externe ſe prodit, non eſt factum externum nec finem reipublicae laedit, eatenus quoque non cadit in forum externum, ſed

 ſoli

ſoli Deo, reliquenda eſt imputatio. Conſentit nobiſcum lex illa famoſiſſima 18. ff. de Poenis. *Cogitationis poenam nemo patitur.* Conf. Ius Pontif. Cap. 14. & 20. de Poenit. Diſt. 1. Accedit tritiſſimum illud Ictorum prouerbium: De occultis non iudicat iudex. Germ. Gedancken ſind zollfrey. Quamquam hoc ſaepius male adplicatur. Aequa eſt huius legis ratio, & omnino maioribus perturbationibus atque tumultibus reſpublica eſſet expoſita, quid, quod inquiſitiones eſſent infinitae, ſi quisque cogitationum malarum poenam luere & iudex abſcondita illa per probationem perfectam detegere deberet.

§. XII.

Ex principiis anteced. §. §. allatis, lis inter criminaliſtas exorta, num ſcilicet cogitationes humanae in forum externum cadant imputandae? facili poteſt componi negotio. Etenim quaerebatur an nuda cogitatio poſſit puniri, quae quidem quaeſtio tota otioſa eſt, & nihil aliud quam logomachiam ſub ſe comprehendit. Sunt, qui nudas in foro externo & quidem in delictis atrocioribus e. g. in crimine laeſae Maieſtatis, imputari poſſe contendunt cogitationes, & quisquis ſuam ſtabilire cupit ſententiam per verba L. 5. Cod. ad legem Iul. Maieſt., vbi dicitur: *Qui tantum cogitauerit de nece virorum illuſtrium, maieſtatis ſit reus.* Sed interpretatio eorum non ipſorum ſolum verborum contextui repugnat, ſed & omni deſtituitur plane ratione. Cogitatio enim, de qua lex loquitur, verſatur circa conſumationem cogitationum, quae non niſi plurium eſſe poteſt, puta, conſiliorum participatio, colloquia & ſeditiones. Et quis neſcit vocabulum cogitationis diuerſimode ab Auctoribus ſumi. Homo alios inter ſignificatus cogitare, dicitur, ſi aliquando rei reprae-

Digitized by Google

repraeſentatio, & iudicium de illa, inter mentis actus internos plane conſiſtit, & iterum cogitare dicimur, ſi verbis aut facto externo mentis noſtra intenta prodimus, de hoc ſenſu legislatori d. L. ſermo eſt. Si enim nuda cogitatio delictum, & eam ob cauſam imputanda eſſet, Iudex ante omnia in eam inquirere iure deberet. Sed ex §. anteced. patet, iudici competere tantum inquiſitionem in facta non licita externa, cogitatio autem nuda non eſt actio externa, conſequenter nec iudex in eam inquirere poteſt. Inquiſitio ſupponit certa indicia, quae iterum in cogitatione deficiunt, & ſine quibus non poteſt dici, quendam commiſiſſe factum illicitum. Quodſi autem adſunt indicia, cogitatio intra mentis actum non permanſit, ſed ad alios conciues tranſit, atque ita verbis vel factis reuerentiam Principis laedit. Eo ſenſu non manet cogitatio, ſed conatus dicitur, de cuius imputatione mox paucis dicemus.

§. XIII.

Nondum omnes criminis haereſeos agitatae circa eius imputationem controuerſiae ſunt ſedatae. Nimirum quaeritur: An cogitationes de haereſi ſub iudicis cadant imputationem? Eam adfirmantes, theſin hanc in haereſeos definitione eſſe ſtabilitam, putant. Definiunt, quod ſit, error malitioſus in capitibus fidei ad ſalutem neceſſariis, commiſſus, atque conſequenter, merus intellectus actus, nihilo autem minus iudicis inquiſitioni ſubiectus. His igitur poſitis, haereſin in forum externum cadere, & cogitationes de haereſi in externum trahendas eſſe forum, putant. Sed grauiter errant, non enim demonſtrarunt, nec vnquam hoc euincent, haereſeos tali ſenſu ſumtae imputationem, imperiumque conſcientiae penes iudicem eſſe externum. Doctrina enim erronea

Digitized by Google

quam diu reipublicae tranquillitatem non turbat, malum tantum eſt ſpirituale, quod & remediis ſpiritualibus repellitur. Victum itaque manet, cogitationes in foro humano non puniri.

§. XIIII.

Obſtare noſtrae de cogitationibus ſententiae videtur L.14. ff. ad Legem Corneliam de ſicariis, quae ita ſeſe habet: in delictis, non exitus, ſed voluntas conſideratur. Sed breuibus deducemus, legem hanc non contrariari ſententiae: Ex antecedent. & conſeq. ſcil. L. I. §. 3. ff. h. t. adparet, Legislatori ſermonem eſſe de homicidio. Bene perſpexit prudens ille legislator, ex errore ſaepius committi poſſe homicidium, vt quis alteri mortem inferre tentans, tenebris vel iracundia vel temulentia ſeductus, alium & quidem fortaſſis amicum, credat inimicum eique mortem inferat. Nunc quaeritur, num ille legis corneliae teneatur? Rſp. Reſpiciendum eſſe ad occiſoris intentionem, nam quum antea inimico ſuo mortem inferre decreuit, omnino eſt in culpa, inhaeret enim rei illicitae, ergo quoque tenetur de omni eo, quod praeter illius intentionem accidit, & ſibi imputet, cur non de huius actionis euentu cogitauit, quod tamen & potuiſſet & debuiſſet facere. vid. Carpz. Pract. Criminal. Quaeſt. 1. N. 28. Sam. Stryckii Tractat. de iure ſenſuum pag. 506. 507. Ioann. Henric. Pottius, Tract. de Poena Conatus Cap. II.

§. XV.

Cogitatio in actum deducta cum intentione ad perpetrandum delictum, ſecundum delicti attentati conſtituit gradum, quem vocamus conatum. Ille gradus continet omnes actiones, quae modo in homine ſe exerunt, ſcil. deliberationem, decretum, adplicationem & ad greſ-

ſionem

ſionem operis. Delictum in eo, qui illud efficaciter vult eſt interne perfectum, etiamſi euentus, conatui haud feliciter reſpondeat. Hoc ſi fieret delictum abſolute tale & externe perfectum eſſet. Nunc potiſſimum de illo quaeritur, 2) an & quatenus in foro criminali poſſit imputari. Omnis actio libera non licita, quae republicae ſtatum tranquillum & ſecurum, peiorem reddit, crimen eſt, quod ſummo iure punitur. Actus enim ille exterior ad delictum perpetrandum directus, rem publicam grauiſſimis onerat turbis & laedit proximum atque ſic merito a iudice, cum legibus praeſcriptis, earumque ingratis motiuis comparatur, id eſt, punitur.

§. XVI.

Haec noſtra ſententia non ſolum cum naturali aequitate, ſed & legibus conuenit. Seneca Lib. de conſtitut. ſapient. Cap. II. *Omnia*, inquit, *ſcelera, etiam ante effectum operis, quantum culpae ſatis eſt perfecta ſunt. Neque enim ex factorum euentu, ſed conſiliorum delectu, iudicandum eſt, illum namque fortuna in poteſtate habet, hic ex ratione cuiusque aeſtimatur.* Et Lib. 5. de beneficiis Cap. XIV. dicit: *Latronem eſſe, & ſi non manus inquinet, qui ad occidendum iam armatus ſit, & habeat ſpoliandi atque interficiendi voluntatem.* Philoſopho aſſentitur Poëta: canit enim Iuuenalis, Satyr. 13.

Nam ſcelus inter ſe tacitum qui cogitat vllum
Forti crimen habet:

Egregie conuenit cum Iure naturali, ius ciuile romanum L. I. ff. de extraordinariis delictis, vbi Legislator dicit: Conatus punitur pro effectu. Conf. L. 21. §. 7. de furtis. L. 3. de iis, qui notant. Infam. L. 1. §. vlt. quod quisque iuris in alter. Aſſentitur nobis Ius Saxonicum, Sächſiſch Lehn-Recht.

Digitized by Google

Recht. cap. 39. & Ord. Carol. Crim. Art. CLXXVIII. So ſich jemand einer Miſſethat mit etlichen ſcheinlichen Wercken, die zu Vollbringung derſelben Miſſethat dienlich ſeyn mögen, unterſtehet, und doch in Vollbringung derſelben Miſſethat, durch andere Mittel, wider ſeinen Willen verhindert wird, ſolcher böſe Wille, daraus etliche Wercke, alſo obſteht, folgen, iſt peinlich zu beſtrafen, aber in einem Fall härter denn in dem andern, angeſehen Gelegenheit und Geſtalt der Sachen. Darum ſollen ſolcher Strafe halber die Urtheiler, wie hernach ſtehet, Rath pflegen, wie die an Leib und Leben zu thun gebühret.

§. XVII.

Liceat nobis quasdam adducere notulas, ſenſum huius articuli clariorem reddentes. Pleraeque conſtitutionum criminalium editiones, articuli §. anteced. adlegati, verba ita tradunt: So ſich jemand einer That mit ehrlichen ſcheinlichen Wercken; aliae iterum alias ponunt: mit etlichen; aliae & quidem pauciſſimae tandem, äuſerlichen. Qui verbum äuſerlich retinent, ſenſum conſtitutionis quidem commode explicant, at nimia nobis videntur vti licentia, ſiquidem illud inprimis, huius conſtitutionis, editionibus, non reperiatur, verbum nec videri poſſit, quaenam illos neceſſitas, a verbo etlichen, recedendi cogat. Illi, qui mit ehrlichen ſcheinlichen Wercken legunt, recentes antiquioribus praeferunt editionibus, & praeſertim prima editione carolina, quae Moguntiae 1533, auctoritate imperiali, ex officina Iuonis Schaefferi prodiit, & in qua legitur etzlichen, reiecta, etliche neſcio qua ratione poſuerunt. Noſtra lectio non cum ordinatione criminali Bambergenſi, quae mater carolinae dicitur, eiusque art. CCIV. ſolum conſentit, ſed & cum Brandenburgenſi, quae e prioribus

ſub

ſub Georgio & Caſimiro, Marchionibus Brandenburgicis hauſta prodiit 1516, quam denique ſecuta eſt carolina 1532. Satis quidem ſpecioſe vir celeberr. & de iurisprudentia noſtra germanica, inprimis criminali optime meritus, Dn. Kreſſius, in Iulia Academia Profeſſor digniſſimus in Commentat. ad ordinat. Criminal. p. 539. lectionem ehrlichen, defendere contendit, ſed nondum euicit. Ipſe enim fatetur: Philologos iuridicos editionem moguntinam de Anno 1533. pro lege authentica & pro fonte reliquarum habere editionum. At quid impedit, quo minus textum ipſum in edit. de A. 1533. pro genuino agnoſcamus. Nonne verba in proiectis de A. 1521. & 1529. quae Clariſſ. Kreſſius denominat, ab negligentibus potuerant corrumpi ſcribis; inſuper ſenſus, quem voculae ehrlichen adſcribit, de non fictis ſcilicet clandeſtinis ſed apertis indiciis iam latet in verbo, ſcheinlich, id eſt, in actionibus manifeſtis, quibus reuera delictum committitur.

§. XVIII.

Sed nunc quaedam de imputatione criminis dicenda erunt. Omne enim, quod tranquillitatem & ſecuritatem reipublicae turbat, eſt crimen, eamque ob cauſam puniendum. Sed iudicis ſententia, eo debet eſſe directa, ne quis maius aut minus commodi aut incommodi ſentiat, quam ei conuenit, ergo poena delicto debet eſſe proportionata, & ſicuti pars non poteſt aequiparari toto, ita nec delictum attentatum delicto conſumato. Minime itaq; in delicto imperfecto eadem poena, qua perfectum coërcetur delictum, admitti poteſt, & licet ſummus adſit conatus gradus. Inde fluit regula: Delictum quoties perfectum & conſumatum eſt, poena coercetur ordinaria; ſin autem minus eſt perfectum, tantum extra ordinaria, quae tamen regula aliquatenus eſt limitanda.

Digitized by Google

Si crimen attentatum in ſe conſideratum, tales, qui reipublicae ſecuritatem turbant, producit effectus, verum omnino eſt delictum, atque ita merito patitur imputationem, qui effectus, ſi ſunt maiores & atrociores, immo ſi gradus criminis attentati tanti ſunt, vt idem damnum inferrent reipublicae, quam alias crimen perfectum, non minus punitur, quam perfectum.

§. XIX.

De crimine attentato eiusque poena, vel legibus cautum, vel ſolius iudicis arbitrio imputatio relicta eſt. Si enim expreſſa lege conſtituta quaedam eſt poena in crimen, iudex ipſi inhaerere debet, dummodo factum illicitum omnibus cum circumſtantiis caute adplicat ad leges. Crimini autem attentato atrociori, ſi ſcilicet ad ſummum malitiae peruenit gradum & reipublicae exinde inſigne imminet periculum, poenam dictitat capitalem. Igitur iudex poenam adplicat, (α) in crimine laeſae maieſtatis. Praecipit illem, famoſiſſima L. 5. ff. ad L. Iuliam Mai. quae eos, qui contra Imperantem vel rempublicam aliquid moliti ſunt, eorumque ſecuritatem & dignitatem laedunt, immo machinantibus quid contra rempublicam, poena mortis proſequitur. Conuenit haec lex cum aequitate, conſentit quoque cum legibus imperialibus, vid. A. B. cap. 24. (β) adplicat in crimine parricidii vid. L. vnic. Cod. *de his, qui parentes vel liberos occidunt*, cui Legi reſpondet L. 1. ad L. Pompeiam de parricid. Et quamquam hodie ille poenae rigor non ſemper ſeruetur, non video, quid ſtatuere impediat: Omni de iure ei adhuc hodie iudicem poenam capitalem decernere poſſe, qui in actu conſtitit proximo, quantum enim in ſe fuit, perpetrauit, & etiam ſi impeditus fuerit, nihilo minus poteſt damnari,

ri, non enim per eum ſtetit, quo minus delictum perficere poſſet. (γ) in homicidio doloſe attentato. L. 1. ff. & 7. Cod. ad L. Corneliam de ſiccariis. Vbi illum, qui occidendi animo telo ambulauit, poena capitali puniendum eſſe lex dicit. Sed neſcio, an hodie illi ſit inhaerendum legi, quum conſuetudo mitiorem introduxerit ſententiam, & quid aequius fieri poſſet. Ratione enim eius ſublata ceſſat & ipſa lex. Tum temporis enim, quo C. Sylla legem condidit, in conſuetudinem abierant homicidia, tulit illam poſt ciuium proſcriptionem, atque vt tandem finem imponeret caedibus, quas turba excitauerat, ſolum etiam hominis conatum ad poenam trahere conſtituit. Sic & hodiernum; Caedibus enim ingraueſcentibus, reipublicae quoque rationes augeri ſuadent poenas. Coercetur poena (δ) in delicto aſſaſſinii, quo nimirum homicidium cum praemii oblatione mandatur, & ab altero ſuſcipitur. Attentatorum homicidiorum poenam capitalem conſtituit lex 14. ff. ad L. Cornel. conf. *l. non ſolum §. mandato ff. de iniuriis.* quo & pertinet aſſaſſinium, quippe quod grauius eſt homicidio. Confirmat hoc Pont. Bonif. VIII. Cap. II. de homicid. in 6. Nos idem de hoc ſentimus, quod in homicidio attentato, ita tamen, vt, rectius & tutius aſſaſſinatori attentanti poenam poſſe capitalem imponi, quam homicidae, putemus. (ε) Incendiariis attentantibus, Ius Sax. Elect. conſtit. 17. part. 4. & Ius Pruten. Lib. 6. Tit. 5. art. 7. §. 2. poenam adiudicat capitalem. Nobis autem, legislatoribus ſermo eſſe de aedibus iamiam ardere coeptis, quamuis flamma iterum extincta ſit, videtur. Poenam porro incurrit (ζ) ſacrilegium attentatum, vid. Conſtit. criminal. 172. art. Auch ſo einer Stehlens wegen in die Kirchen bricht, modo in externo conatus gradu conſtitutus ſit, capitali punitur poena. Punitur

nitur (*n*) diffidationis & fractae pacis crimen attentatum. vid. conſtit. imper. Ratisb. de anno 1549. §. 40. vbi iis, qui tantum litteras diffidationis mittunt, dictitatur poena capitalis. Conf. conſt. de pac. publ. ſub tit. 4. in princip. ibi, verb. **oder zu handeln ſich unterſtehen würden**, iis, qui conantur publicam frangere pacem, eadem dictitatur poena. In furto qualificato, quanquam tantum attentato, lege Brandeburg. poena conſtituitur ordinaria capitalis. Corp. Conſtit. Magdeburg. part. 3. n. 131. §. **anfänglich ſetzen.**

§. XX.

Vel non capitali. Si delicti attentati non capitalis leges mentionem faciunt, ſaepius fit, vt etiam ipſi certum quoddam tribuant nomen. Et nobis quidem videtur partem ſpecialem iurispr. illud conſtituere legislatoriae politicae, ſi crimina attentata expreſſe ſeparantur a conſumatis & poena ita ipſis infligitur certa. Reipublicae enim intereſt, conatus deprimi, & principiis pariter ac progreſſibus occurrere, ne ſero ſaepius fruſtranea praeparanda ſit medicina. Conſentit Celeberr. Anteceſſor in Academia Kilienſi, Ioan. Zachar. Hartmann. in ſpecimine I. obſeruat. iuris criminal. theoretico practicar. p. 60. & dolemus plura adhuc, quantum nobis ſcire licet, non edita ab illo fuiſſe ſpecimina. Liceat nobis quasdam tantum adlegare leges poenam non capitalem conatui infligentes. e. g. ſollicitationi alienarum nuptiarum: Pudicitiam alienae enim vxoris attentanti, deportationem ius ciuile irrogandam eſſe, ſtatuit. l. 1. ff. de extr. crim. Inſuper etiam iniuriarum actione talem teneri attentatorem L. 9. §. vlt. ff. de iniur. perhibet. Crimen effracturae domus, qui furandi cauſa veniunt L. 1. §. 2. ff. de effract. & expil. in perſonis vilioribus fuſtigatione, in honeſtioribus vero relegatione punitur. Furti conatum fouens, crimi-

nis

Digitized by Google

nis iniuriarum fit reus, L. 21. §. 7. ff. de furtis. Duellum attentatum, Lege imperii punitur relegatione. Kayſerl. Reſolut. auf die Reichs-Bediente 1668. Verb. Solte ſich aber jemand ꝛc. Plura de criminis attentati poena non capitali hic proferre noſtrum non eſt, pergimus itaque ad alia.

§. XXI.

Si delicti poena non determinatur, arbitrio iudicis tanquam ſalutis publicae cuſtodi; omnino eſt relicta. Adplicat tunc poenas vel in delicto capitali, vel non capitali. Audiamus Carolum in conſtit. criminal. vbi dicit, in Sachen, die an Leib und Leben gehen. Sub non capitali non poenam corporis adflictiuam ſolum, ſed leuiores quoque poenas vt, carcerem, mulctam &c. intelligimus. In articulo enim noſtro, verbum peinlich, latiori ſumitur ſenſu. Hinc quasdam poſitiuas regulas ab iudice obſeruandas, ne vel in exceſſu vel in defectu peccet, tradimus, quas inter prima eſt, 1) ſollicite & ſtrenue cuſtodiat leges, quae criminum attentatorum poenam definiunt, caute tamen procedere debet in legum ad actiones adplicatione, ne capitales infligat delinquentibus, niſi ſummum vel ſaltim maiorem conatus gradum crimen adſecutum ſit, alias enim fieret aut durior aut mitior lege. De certo determinationis poenarum gradu, infra quid dicendum erit. 2) Ante oculos habeat leges, quibus poena infligitur delictis perpetratis & caueat, ne attentatis duriorem, quam iam conſumatis delictis infligat poenam, nulla enim eſſet proportio poenae & criminis. 3) Caute examinet actum, qui conatum inuoluit. Requirit illud legislator in conſtit. crimin. art. 178. verb. In einem Fall härter zu beſtrafen als in dem andern, angeſehen Gelegenheit und Geſtalt der Sachen. Darum

Digitized by Google

ſolcher Straffe halber die Urtheiler Raths pflegen. Adparet inde debere intentionem delinquentis eſſe directam ad perpetrandum delictum & turbandam per hoc rempublic. Actus enim indifferentes vel caſu obuenientes foro exulant. Inſuper actus debet eſſe intentus, apertus & clarus, vt dilucide adpareat intentio, conſtitut. crimin. cap. 178. verb. Mit ſcheinlichen Wercken. Regula enim illa generalis, quae in toto proceſſu criminali obſeruanda eſt, obſeruari & hic debet, quia *nulla poteſt decerni poena niſi certe de delicti corpore conſtet.* Nimirum in occulta, quorum nullus fere exſtat actus notus, non poteſt inquiri. 4) Inſuper actus ſit liber & non coactus. Ex §. 7. adparet: actus coactos exulare ex foro interno, quanto magis nunc ex externo. Si enim homo liberum rationis non habet exercitium, non poteſt puniri, actus itaque infantum, furioſorum, amentium, immo ſumme ebriorum, quia plane rationis vſu deſtituti ſunt, non poſſunt imputari. Nec quidem ſenſu iuris actus eorum, qui nullum rationis & voluntatis vſum habent, etiamſi repugnent legibus, criminis nomine veniunt, quia crimen praeſupponit electionem facti, & mali quidem prae bono. Accedit & hoc: conatus directum ad crimen inuoluit actum, ſed nulla directio, niſi finis, qui ante omnia eſt probe perſpiciendus, praecedat, nullus autem in homine, qui libere non agit, inuenitur, ergo quoque crimen, qui libere non agit, non committit.

§. XXII.

Reſpiciendum porro eſt iudici, An actui dolus aut culpa inſit? Horum definitiones ex §. 9. patent. Dolus ſcilicet nobis eſt, ſi quis deliberato animo, viribus animae abutitur, & non ad reſiſtendum huic inordinato adfectui, ſed potius ad perficiendum, eas adhibet; Culpa autem, ſi

ani-

Digitized by Google

animo inſcio & non deliberato viribus ſuis, quamquam ſcire & adhibere potuit, ad reſiſtendum non vtitur. Diximus enim in §. 15. Delictum attentatum, cogitatione, adſenſu, conſultatione de mediis eorumque adplicatione abſolui. Gradus hi in mente ſucceſſiue producuntur, & ideo actus ex iſtis gradibus proueniens fit vel remotus, & proximus. Si tantum cogitatio nuda adeſt, & in facta externa, quae complacentiae & voti vt particeps illius obiecti non liciti homo fiat, illius indicia ſunt delicti, erupit; ſi media quaerit, quae illum ad finem perducunt, gradus eſt remotus: Proximus autem, ſi ad illorum mediorum adplicationem peruenerit, dicitur. Actus ille primus in diuerſos iterum abit gradus, tum reſpectu cauſae conantis, tum etiam effectus. Reſpectu cauſae conantis, iudici attendendum eſt, vtrum iſta mitiget culpam, aut augeat poenam? Poena minuitur, ſi ſumma neceſſitate aliisque fuit adductus circumſtantiis; ſi magna delinquenti eſt inſcitia; ſi ſummo immoderatorum adfectuum regimine, e. g. iuſto dolore inſtigatus eſt. Reſpectu effectus econtrario, ſi conatus ſaepius fuit reiteratus, quamquam etiam ſaepius ab externis impeditus fuerit impedimentis; ſi delictum diutius praemeditatum; ſi cum ſumma opus perficiendum, attentat crudelitate; ſi denique crimen eousque peruentum eſt, vt tandem vltimus reſtet actus, interque illos nulla alia intercedere poſſit operatio. Quo vlterius nunc homo progreſſus eſt in actionibus illis, eo grauior fit illi imputatio, habuit enim diutiorem propoſitum ſuum perpendendi & retrahendi occaſionem. In minorem vel maiorem conſiderationem illi veniunt actus, & hoc quidem ſecundum criminis grauitatem, quae vel

Digitized by Google

vel magis vel minus laedunt reipublicae finem. Inde ſaepius fit, vt etiam crimini attentato in remoto gradu conſiſtenti poena infligatur capitalis, quae alias tantum in criminibus in proximo gradu exiſtentibus obtinet, e. g. in crimine laeſae maieſtatis, pacis fractae, & diffidationis, quae omnium criminum ſunt atrociſſima, reipublicae enim quam maxime intereſt, proximum non exſpectare actum, quia tale ipſi periculum imminet, in quod non priuatorum ſolum, ſed & totius reipublicae ſalus incurrit.

§. XXIII.

4) Iudicis eſt, ad ea potiſſimum attendere, quae crimen attentatum a conſumatione arcent. Impedimenta enim, ſunt vel externa vel interna. Accedente quodam externo impeditur ſcilicet vi externa, vigilantia, auxilio amicorum, qui crimen ipſo inuito impediunt, ne conſumetur. De tali impedimento conſtitutio criminal. & quidem art. adl. tantum loquitur: Accedente verum interno crimen interrumpitur, & in homine ipſo latet, quum nimirum ipſum poeniteat facti, id eſt, ſi taedium, ob malum actionum ſuarum exitum futurum, ſentit, & ſuam mutat voluntatem, conſilium reuocat & ſanioribus ductus cogitationibus delictum intermittit. Grauius delinquit ille, qui priore impedimento a conſumatione delicti repellitur quam qui poſteriore motus abhorret. Prior omiſſio eſt coacta, per conſequens auget crimen, poſterior vero ſpontanea & per conſequens minuit. Omiſſio grauior eſt, ſi delinquens non verbis & perſuaſionibus, ſed vi externa coactus abſtinet a crimine, & quia impedimentum externum adeſt, quod delinquentem a conſumatione repulit, iudex, an delictum attentatum in actu remoto vel proximo perſtiterit, caute inquirat, & bene ſecum perpendat, quae in §. XXII.

ad-

Digitized by Google

adduximus. Delictum nihilominus puniendum in vtroque caſu eſſe, conſtat, mitius tamen, ſi delictum in remoto actu ab externo interruptum fuit obiecto, quam ſi in proximo actu, punitur. Semper enim iudici poenae cum damno dato ſunt commenſurandae, quod ſi enim effectus ex delicto emanantes tam graues eſſent, vt reipublicae ſalus maxime turbaretur, poenam capitalem poteſt infligere. Eam ſcilicet e. g. in veneficio doloſe attentato, Scabini Lipſ. adiudicarunt. Vid. Wagneri Diſſ. Erford. 1715. de Veneficio attentato, ventilatam.

§. XXIIII.

Crimen etiam poenitentia interrumpitur. Dubia de illius imputatione ICtorum veterum eſt ſententia. Ecquis enim neſcit, magnam inter ICtos, Paulum & Vlpianum de illo ſcilicet, an poenitentia poenam mitiget? controuerſiam eſſe exortam. Sed noſtrum nunc non eſt, illos conciliare, quum nobis firmiora ſunt argumenta, & praeſertim conſuetudines noſtrae communi fere ICtorum conſenſu in regula pronunciant; Quando damnum crimine illatum reſarciri poſſit, admittendam eſſe poenitentiam, & adeo poenam mitigandam. Iudex itaque probe perpendat, num crimine attentato damnum aliquod ſit datum? Si crimen adhuc eſt occultum, nec ſe in externis machinationibus aperte exerit, nullis poenis coercetur; ſi itaque, vt breuiter dicam, crimen adhuc in remotiſſimo gradu conſiſtit, nullum inuenit locum, ne animus reſipiſcentis exacerbetur, & respublica plus incommodi, quam commodi, ſentiat, L. 18. ff. de Poenis & 19. ff. princip. ad leg. Cornel. illi, qui falſam monetam percuſſerint, ſi id conſumare noluerunt, *ſuffragio iuſtae poenitentiae abſoluuntur.* it. L. 1. Cod. de crimine ſtellionat. In illo caſu delinquens ſe ipſum punit in-

terne, & licet a tramite recto aberrauerit, tandem ſtatim redux factus eſt, & ſecum conſtituit ſummis viribus finem reipublicae in poſterum promouere, proximo nullum adhuc damnum eſt datum, media enim, quae ad perpetrandum delictum ſibi elegit, nondum adplicauit, omnemque machinationem extinxit, & ſic reſpublica ab omni imminente periculo liberata eſt. Si autem crimini attentato lege expreſſa poena conſtituta eſt, omnino aliqua ex parte irrogatur. Tale delictum ſpeciale nomine veniens, & a legibus poena quadam notatum, non in totum poenitenti remittitur ſed ſaltim mitigatur poena criminis attentati, e. g. ſollicitationis alienarum nuptiarum crimen ordinaria a fuſtigationis poena recedit, & ſaepiſſime tantum carcere punitur. Vniuerſalis hic ſubſtitui regula non poteſt, in foro enim plerumque obſeruatio obtinet, crimine nondum conſumato ordinaria non poteſt infligi poena, quod etiam obſeruatur praeſertim in illo, quem poenitet facti. Si crimen non notatum eſt lege, attamen propius accedit, ad conſumatum delictum, quod fini reipublicae contrariatur, attendat iudex, num crimen hoc ſit aut atrox aut leue? In leuioribus nulla fere infligitur poena, ſed plerumque tantum mulcta. In atroci probe perpendendum eſt, num poenitentia facta ſit tempeſtiua aut non. Si tempeſtiua eſt & ſponte recurrit arbitrarie punitur e. g. in raptu virginis, ſi quis illam rapit, ſed poenitentia ductus, eam relinquit illibatam L. vnic. cod. de rapt. virg. ſi autem ad actum ipſum peruenit & delicti ipſum poenitet, regulariter euentus eſt triſtis & capitalis e. g. in Infanticida, quae iamiam in actu eo peruenit, vt inſtrumenta ad vulnerandum apta, infanti adplicet, ſed adhuc in ipſa inſtrumentorum adplicatione, illam poeniteat facti, clamitat, & vocat alios, qui medicos & chirurgos adferant, vt deligent vulnera, infans tamen perit, in illo, dicam caſu, omnino obtinebit poena capitalis.

§. XXV.

Digitized by Google

§. XXV.

Sed ne diſſertationis terminos excedamus, finem nunc huic imponimus labori. Liceat modo nobis adhuc quosdam, qui in Themate iſto elaborando, ad manus fuerunt, adlegare auctores, eum in finem, vt B. L. eo facilius noſtros, ab aliorum diſtinguere queat, laboribus.

Sunt iſti ſequentes:

1. Benedict. Carpz. Pract. rer. criminal. 1652. Viteberg.
2. Cornel. van Bynckerhoek obſeruat. Iur. rom. Lib. IIII. Francof. 1723. 4to. p. 255-262.
3. Io. Henric. Pottii tract. criminal. de poena conatus Francof. 1698.
4. Sam. Stryck. de jur. ſenſ. Francof. 1726. 4to p. 499-509.
5. Io. Paul. Kreſſii Comment. ſuccinct. in conſtit. criminal. carol. Hanov. 1730. 4to. p. 578-584.
6. Georg. Beyeri Delineat. Iur. criminal. ſec. C.C.C. cum not. D. Mylii. Lipſ. 1727. 4to. p. 342-345.
7. Dan. Claſſenii Comment. in Conſtit. criminal. Lipſ. 1718. p. 568-573.
8. Chriſt. Blumbachers Comment. in Kaiſer Carl V. Peinl. Hals-Gerichts-Ordnung. Salzb. 1670. p. 402-409.
9. Iac. Friderici Ludouici Not. pract. in conſtit. criminal. Halae 1716. p. 246-247.
10. Eſaiae Puffendorff. Introduct. in Proceſſ. criminal. Luneburg. Francof. 1732. p. 254-255.
11. Sam. Frid. Boehmer. Element. Iur. prud. criminal. Halae 1732. p. 192. 193.
12. Carl. Guilhelm. Gaertner. Inſtit. iur. crimin. Lipſ. 1729. pag. 269-297.

Sufficit nunc, nos in explicanda criminis attentati doctrina tantam collocaſſe, quantam nimia temporis breuitas nobis permiſit, operam. Tenuem iſtum laborem aequi boni-

que

Digitized by Google

que vt conſulas, B. L. eſt quod abs te petimus, & ſi huius ſcripti forſitan poſtules ordinem concinniorem vberioremque demonſtrationem, opuſculum noſtrum, *de vſu philoſophiae ſobriae in iuriſprudentia criminali*, quod pauco temporis interuallo ſumus daturi prelo, votis tuis melius ſatisfaciet, & propoſitiones, quas in diſſ. noſtra vt euictas iam propoſuimus, demonſtratas ſiſtet. Deo autem optimo maximo, Patri noſtro clementiſſimo, in fine ſtudiorum noſtrorum academicorum, pro omnibus donis, quae in nos indignos ex ipſius gratia tanquam ex fonte omnium perfectionum manarunt, & ſimul pro praeſtito hac in diſſertatione auxilio ſit laus & honos.

CORROLLARIA.

I. Sectio & inſpectio cadaueris caeſi, fere plerumque eſt fruſtranea.

II. Datur crimen gratiae.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

III. Hugo Grotius non perduellis fuit.

IV. Exiſtentia angelorum ex lumine rationis non poteſt demonſtrari.

V. Heraldices ſtudium adhuc eſt incertum, & plurimi curioſitatis quam vtilitatis gratia ſuam in eo collocant operam.

VI. Norma actionum humanarum eſt perfectio.

ERRATA.

§. 4. lin. penult. p. 6. pro *conſumata* lege *conſummata*. §. 5. lin. vlt. p. 6. pro *prae* lege *illa*. §. 6. lin. 3. pro *non* lege *tantum*. eod. §. p. 8. lin. 4. *nec ipſi* addatur *primi motus*. §. 7. lin. 16. pro *perfectas* lege *perfectae*. eod. §. lin. 21. pro *ipſorum* lege *ipſarum*.

✡ ✡ ✡

Digitized by Google